

GOTFRIDI HEGENITI
PHILAUTUS,

Hoc est,
DE AMORE SUI MAXIME
APPROBO
DISCVRSVS ETHICO-PHI-
LOLOGVS



SEGODUNI
Typis SIMONIS HALBMAYERI
Anno XXIII. supra XVI, sæcula.

diss. A

27

ad IX. 27.

XXII. 22.

15



Miraculo omni, perpetrare quod potest
Homo, est homo magnum magis mi-
(raculum,

*Lib. 18. Cif.
D. Cap. 12.*

Afro docente Episcopo doctissimo,
Magnū orbis est miraculum, ac audax opus
Naturæ, Homo, ut Scalanus inquit Julius.
Quin & DEO ipsi magnus est, cujus manu
Tām membra scitus corporis formatus est,
Quàm spiritum entheum; lytroq; sanguinis
Nati DE I redemptus; atque Cœlici
Afflatus aurâ Flaminis; quid ergò non
Propter DEUM queat sibi placere homo?

M. Melchior Rinder.

Scaliger.

*Non est tibi, quisquis sibi nescit esse amicus
Verum neque sic; qui sibi vult nimis se amicum.*



v. 111



V. AMPLISSIMO ET PRUDENTISSIMO

Dⁿ. CHRISTO-
PHORO GIRSNERO, Inclutæ Rei-
publ. Nurembergens. Primicerio bene
merenti, &c. &c.

DOMINO MEO AC FAVTORI
summè observando

LIB. MER.

D. O. C. Q.

GOTFRID. HEGENITIUS.



A 2

LI-

LIBENS MERITO inquam tibi AM-
PLISSIME DOMINE, Gratitude
atq; observantia mea velut arrham,
immò aram offero & insignio hoc quic-
quid est Dissertationis litterariae. Tenuè
munusculum fateor, & quod minimam partem fuerit
exsolvenda gratia pro ingentibus meritis, quae mihi ad-
fatim exhibuisti. Sed si quaesivissem illis dignum redho-
stimentum non habebam: si quodammodo conveniens,
istud erat, ut à Clarissimi Nominis Tui prerogativa
lucem aliquam huic scribto conciliarem. Quod si acri-
monia iudicis Tui non improbabitur, bona spes me fovet,
etiam aliis non displiciturum. Aliis dico, sed illis, qui
non invident ad Fame & Immortalitatis campos iter
adfectanti. Quid enim Momos morer, quos cepit su-
perba suavitas praeter ceteros sapienda? Nihil planè,
vel si aliquid, tantundem sicut Scipio Aemilianus
C. Quinct. Metellum, cui hoc scommata non minus verè,
ut arbitror, quam falsè objecit: Si jam quinctum
tua mater pareret, asinum pareret. Et * agant

*
Agere asellū
olim dicti,
qui nimis si-
bi placebant
Jan. Parrh.
Ep. 50. Mu-
ret 12. Var.
lect. 20. Læg.
3. semest. 4.

asellum isti carptores, quibus

ῥάον μωμείδου ἢ μωμείδου.

Tibi sat scio, Praecipui quodam titulo DEUS & Natu-
ra concessit meliorem BONAE MENTIS genium.
Quo si magis quam pretii sui aestimatione hunc ingent
mei factum pendes, ejus, opinor, oblatio non exigua AM-

PLI-

DEDICATORIA.

5

PLITUD. TUÆ videbitur. Si verò exigua; faxit is,
 qui omnia potest, ut animum in me Beneficiis Tuis re-
 spondendi eximium adgnoscas. Et adgnosces sanè, si
 D. Bernhardi effatum pro vero: Fructum Bene-
 ficij esse ipsius animi benivolentiam, neque
 in eo saltim quæri quantum sed quanto de-
 tur animo, quod addit Ambrosius. Nempe

χαρίτων δὲ π. θυμὸς ἀείσος.

Vale, o venerande Senex, ævi Prudentia nostri,
 vale & etatém vive, Egregio RP. & litteraria. FIAT!
 & ita voveo Altorf 1 prid. Kalend. Xbr. Anno Do-
 mini ∞ 10. CXXII.

AMPL. Tuæ

Cultor PP. tuus

Gotfrid Hegenitius.

A 3

Pote-



POteram ingenI vires librare in ar-
gumento alio, quod ad cognoscendum
utilius, jocundius lectu fuisset: nec de-
bebam ἐν τῇ φακῇ μύρον, quod ille ait, lar-
giter profundere. Sed eccedum inter
occupationes otiosas versor, disserta-
tioni huic occasionem præbuerunt Duo quidam è
doctissimis viri, qui merentur, qui habent Famam ac
Gloriam in nostra Germania. Hi ante annos octo
plus minùs, si tamen rectè memoriam consulo, non
levem animorum dissensionem contraxerunt è vo-
cabulo φιλαυτίας, sic ut utrinque ritu Andabatarum
certamen fuerit. Mitto personas, mitto verba: sal-
tim quam uterque habuerit opinionem, exponere
animus est, & opera. Unus ad ravim usque jactita-
bat; Omnem sui Amorem esse in vitio, laudabilem
nullum. Alter dictionem φιλαυτίας æquivocam & ex
πολλαχῶς λεγομένην esse statuebat. Ego litem hanc tan-
torum actualium virorum absit ut mei iudicii faciam:
Absit hoc non à chartis modò istis, sed nostro etiam
pectore. Scitum illud potius adsit ac præsit: *Ami-
cus Plato, amicus Socrates; magis tamē amica veritas.* Et huic
posteriorē illam sententiā adprimè affinem reor:
licet contra in alteram plurimi consensu vulgaris o-
pinionis non inclinent tantum, sed prorsus propen-
deant. Sed ita est: Oculus qui per nebulam aut a-
quam inspicit, res metitur falso modo: perinde ani-
mus,

mus,

mus, qui per nubem opinionis. Hæc est succus loliginis, hæc mera ærugo, quæ ubi semel animos infecit, illicet actum est, & hæc ferium nihil, nihil severum parimus, non aliter sicut in Iberia equæ beneficio venti Favoni concipiunt, sed evanidum fœtum. Novi ego naturam & indolem illius *Φιλαυτίας*, quæ est ut cum Vate Venusino definiam.

7. Lips. cent.
4. Epist. miscell. 55.

----- *Cæcus amor sui,*
Et tollens vacuum plus nimio gloria verticem.

Horat. lib.
2. Od. 18.

*

Hæc nimirum * Platoni & * Thomæ Aquinati *παι- των ἀμαρτημάτων αἴλιον*, Horatio autem

V. de Legib.
*

Stultus & improbus hic amor est, dignusq; notari

Lib. 12. q. 77
Lib. 1. Serm.

Sat. 111. Quod etiam sentit Francois Lorqot in secret. moralib. quest. 16. sect. 2.

Sotadi est *hinnitus stultitiæ*, * Keckermano *omnium virtutum qua mores qua mentem informant, remora ac impedimentum.*

Syst. Ethic.
lib. 1. c. 3.

*

Hæc pestis, ut in omni ætate, sic potissimum adolescentiæ suaviter irrepit, leniter abblanditur juvenuti, quæ ut simul sapere cœpit, jam sapit: & cum vix limen libavit arcanæ virtutis, putat penetrasse. E censu horum sui amatorum, si quis alius, existit olim Narcissus Liriopes, quæ una ex Nymphis, filius. De hoc ubi Tiresias consuleretur

Dan. Heins.
in oratione quad.

7. Lips. cent.
2. Ep. 23.

----- *an esset*
Tempora matura visurus longa senectæ?

Obid 3 Metamorph.

*Si non noverit se formosum esse, respondebat. Quid fit? Is formæ elegantiam fretus Echō etiam sprexit cum aliis Junonibus: Sed ab ultrice illâ Nemese egregiè multatus. Cum enim post venatum aquas ex fonte haustus, nimis sibi placeret ob visam sui voltus imaginem, statim hoc Amore contabuit in florem sui nominis mutatus, quem Sophocles *εὐφαιώμοι χθονίων γεῶν**

γεῶν

θεῶν appellavit. Si inter vivos egissem cum ævi, Narcisso dixissem, quod olim Nymphæ ab ipso fastiditæ, sicut quidem Suidas refert

πολλοὶ σε τειμισῶσιν, αἰὲν σαυτὸν Φιλίης

Multi oderint te, si temet ipse diligas.

Cic. 2. de
Orat.

Jungendus huic Suffeno Hippias Philosophus Eleus, Is audiente penè totâ Græciâ gloriatus est, nihil esse ullâ in arte rerum omnium, quod se fugeret. Nec solum hoc, sed & quod anulum, quem gestabat, Pallium quo amictus, & quibus indutus erat foccos, se proptiâ manu confecisse laudi ducebat. Sed nimis parum est, quod dixisti Hippia, miror quod non addideris, Te Jovi in cœlis auream matulam præbuisse, aut peplum Veneri, vel Athenis cum Herse delicias fecisse. Helleboro sodes purga cerebrum tuum ne nigra pituita illud infestet. Sapientior longè Socrates, qui *Hoc unum, inquit scio, quod nihil scio.*

Quam Gnomen sapientiæ compendium Martialis Britannicus argutè, ut omnia, explicuit

Joh. Obben.
lib. 1. Epi-
gram. 491.

Nil scis unum hoc scis; aliquid scis, & nihil ergò;

Hoc aliquid nihil est: hoc nihil est aliquid.

Euphor. Lu-
bin. in Sat.

Idem & Heraclitus scilicet sapientissimus fuit; ὅτι ἢ δὲ εἰ σαυτὸν μηδὲν εἰδότε: *quod seipsum sciret, nihil scire.* Quin immò & Anaxarchus *ne id quidem scire se dixit, quod nihil sciret.*

Sentiant alii quod volunt: ego heic non ago Carneadem, quòd magnâ sapientiâ sit interdum decedere vel per speciem de recto sapientiæ cursu, & simulare callidè vitium ignorantia. Apollo judicabat Socratem inter mortales sapientissimum, non quod ita vel sibi aut aliis videretur, sed quòd reapse esset.

Primitus enim Philosophiam (verba Tullii sunt)
cœlis

cœlis evocârat. Ades, Antoni Guevara, decus olim *Horol. Prin. lib. 2, c. 15*
 eruditæ Hispaniæ, ac tuum pro me testimonium de-
 ponito. Fateberis nempe, quod res habet, *sapientissi-*
imum esse in sapientibus, qui se minimum scire arbitretur, & in
rudibus rudissimum, qui se plura scire autumat. Si quis
 enim est, qui multa nôrit, semper invenias alium, qui
 nôrit plura: quoniam *nullus scit, quanta nescit* ex Sidon
 veriloquio. Ades dum aliquis ex *φιλαύτοις*, & Sciolis o-
 mnibus, erudias me quæso;

Quid Jupiter in aurem suæ Junoni dixerit?

Cujas Catilinæ equus?

Cujus sexûs Codii mulus fuerit?

Ex quo coccino Pompejus vestem habuerit con-
 futam?

Quot Paris olim Menelao scyphos cum uxore
 Helenâ subduxerit?

aut deniq; : Quodie, Ganymedes ad cœlum per-
 venerit?

Si vel unus unum ex hisce griphis solverit, ego *φιλαύ-*
τοις omnibus nomen hominis derogabo, & novam
ἀποθέωσιν statuam. Nisi fortean aliquis Bernhardinus
 aut Rosetus, vel alius, qui terram hanc à cœlo stellife-
 ro 65257500 miliaribus distare nôrunt. Ejusmodi
 nimirum viâ, quam peregrinator 89000 quingentos
 & XLII. plus minus annos, dies autem 200. & 45. am-
 bularet, si nempe quolibet die xx miliaria emetire-
 tur. Num autem Alethéa vel Sophrosyne Triumvi-
 ris istis adstitit, dum hæc dicerent, dum scriberent?
 Ut is credat, & Medemia tenebrionum Regina,

----- *Credat Judæus Apellâ,*

Non ego.

Nec enim cum Paulo in cœlis moras habui. Vetus est:

B

Sabi.

2 Cor. 12.
9. 2. & 4.

Sabini quod volunt somniant. Per me quoque somniant isti Φίλαυτοι, quomodo & quandiu volent: modò (quod ipsis seriò voverim) divitias, quas olim *der grindig Heins* beneficio somnii adcepit, indispiscantur. Quænam illæ? scilicet quibus nosocomia & cœnobia partim fundare, partim locupletare potuerit.

Sed abrumpo filum dictionis meæ circa *ψευδοφιλαυτίαν*: ejus interim cultoribus & candidatis nomen relinquo, quod Sycophanta Plautinus sibi venditat, tam longum, ut si ante lucem ire quis occipiat concubitum sit noctis priusquam ad exitum pervenerit. Ita profectò plus erunt, quàm

βομβαρδοξίφροιστοι νεγχεσι πυροδίαλεξτοι.

Rectà me confero ad *Φιλαυτίαν* meliorem, omni laude dignam, sed omni majorem. Quam si non admiserit Aristarchus aliquis, sed, prout vulgus solet, in vitio & convitio habuerit, saltim concedat mihi disserere *λόγος χάριν* vel animi gratia. Quis enim ad censorium tribunal me accersere ausit, etiamsi cum

(a) Hic etiã fabulatus est solum natura ferrea esse, nequid aliud nisi laminã igneã habitationes hominum dari.

(a) Anaxagorã & Laurentio Ramirez de Prado (b) nivem esse atram [quamvis in quibusdam Armeniæ locis rubra sit (c)] oratione probabili statuerim.

Semper ab omni ævo licuit Musarum sectatoribus *ἐπιρροδοζα* sive *ὑπέρδοζα* proponere tum utilitatis adferende causã, tum delectationis. Carneades certè, cum Justitiam magnificis elogiis extulisset, perendie Injustitiam prestabiliorem esse plerisq; persuasit. Hier. Cardanus Neronis, Tyranni Busiridis Isocrates, Erasmus *μωρίας* J. Reiffenberg simulationis, * N. Frischlinus, Salerius, Hegedorpius Ebrietatis, Alcidas

J. Bod. in De RP. l. 6. c. 7.

* Quæ Dissertatio impressa Herbornæ A. D. 1618.

Elca-

PHILAUTUS.

II *Vide alios rerum fri- solar. & ni- hili lauda-*

Eleates Mortis, immò Johannes Bruno Italus ipsius Diaboli encomnium recitarunt.

tor apud Illustr. Frid. Achillem VVürtembergic. in Consult. de præcip. Europa provinc. pag. 612, F. Taubman. in Ad Virgilii Culic. libro commentario p. 421 Keckerm. System, Rhetor. lib. 1. p. 538. Unus autem instar omnium diligentissimè collegit meus & Musarum Sol Vir Nobilis & Clariss. D. Caspar Dornavius in Amphitheatro Sap. Socraticæ Foco-seriæ.

Nemo autem inter eruditos erit tam Cassianæ se- veritatis, ut hanc ingeniorum amœnitatem in libero homine & libera Repub. qualis maximè litteraria esse consuevit, reprehendat. Ego, si minus impetra- vero, tamen enitar, ut abs non nemine possit intelligi, PHILAUTIAN non modò non removendam esse à Christianis, cum sit virtus opt. maxima, sed seriò quoque expetendam. Atque ut ex hoc stadio PHI- LAUTIÆ nobilitas exsurgat, unde omnis ejus maje- stas, nemo mortalium opinor ita rationem habet in vinculis, ant in sacro Codice tam existit hospes, quin juxta cum ignarissimis nesciat, quã re lucis hujus u- suram divinitus adceperit. Eã nimirum fini, ut JEHØ- VAM ἱερωσύνην & ἱερωγραφίαν non modò semper purã & integrã tum mente tum voce veneretur, sed etiam quoad ejus fieri potest, maximè se qui studeat atque imitari. Exemplum provida Natura dedit in flori- bus, quos illius speculatores heliotropia vel cicho- rium dicunt; eò quod, teste Plinio semper ad Solem obvertatur, mane quidem ad ejus exortum, ad occa- sum vesperi. Sic nos ad hoc [cum Seneca loquar] sa- cramentum adacti sumus, & nostra in hoc uno confi- stit vel sapientia vel felicitas, ut æternum Rectorem illum ceu Thesei filium sequamur, si in omnibus vitæ nostræ labyrinthis tuti esse errore volumus. Jam verò quoniam DEUS immortalis ipsa Karitas* est,

Cic. 2. de N. Deor.

J. Lips. l. 1. Const. c. V.

Exod. c. 20. 6. 5. c. 34. 6. 14. Deut. 4. 6. 24. c. 5. 6. 9.

c. 6. 6. 15. c. 7. 6. 8. Jos. 24. 6. 19. Prov. 8. 6. 17. Jer. 31. 6. 3. Rom. 5. 6. 8. Gal. 2. 6. 20. Eph. 3. 6. 19. Job. 4. 6. 9. & 10.

B 2

& san-

A. Guevara

parte 2. Ep.

aur. fol. 118.

Illo amore,

quo Deus se-

ipsum dili-

git, me quoq;

amat.

J. Cas. spec.

quest. mor.

lib. 9. c. 8. l.

praeses 6. &

ibi BI. C. de

servitut. &

aqua.

Ephes. 5. 6.

29.

& sanctissimis immensæ benivolentiæ radiis fovet credulam Electorum gentem, omninò veritati cum Theologæ tum Ethicæ congruit, quod SEIPSUM diligit maximè. Et quei non? Omnis Karitas, quam à Græco *χάρις*, quod est gratia seu beneficium concinne prisca derivarunt, à seipsa fluit in alios, in seipsam verò tandem refluit, non secus ac sphaera per motionem circularem in se reflectitur. Amat igitur Deus seipsum? amat humanum genus? Quid causæ, quin nos etiam nobis esse debeamus curæ & amoris? Nemo enim unquam odio carnem suam habuit; nisi nomen hominis exsuerit, ut feræ alicujus indueret. Quamquam & in ipsis feris non obscura semina & imagines PHILANTHROPICÆ liceat deprehendere. Sed Terentianum illum Mitionem audire operæ est:

Adelph. act.

1. scen. 1.

Vah! quemquamné hominem in animo instituere, aut

Parare, quod sit Karisus, quam IPSE est SIBI.

Et ostendit id ipsum linea virtutis recta ratio, suadet rectæ Rationis subjectum intellectus, qui ceu splendida divinæ sapientiæ stellula mentis nostræ caliginem illustrat. Sic cum Diogenis lucerna quæ fieris homines, etiam in sudo meridie credo nullum cernes, quin felicitatem perpetuam Virtutibus suis brabéon expectet, ac votis omnibus expetat. Nisi enim honestè factis honesta destinarentur præmia, & si gloria cum vitæ pausa terminaretur, nunquam profectò mortales se tot tantisq; laboribus frangerent, non tot curis auferentur, non tot vigiliis.

Tull. in O-

rat. pro Ar.

Heic non possum silenti velariis involvere, nec debeo; nullum ut Amicitia sic Amoris vinculum esse validius, præter Morum atque Ingeniorum Harmoniam. Reperiuntur aliquot AMICORUM PARIAM in historiis.

David

PHILAUTUS.

David	Jonathan
Nifus	Euryalus
Damon	Pythias.
Pylades	Orestes
Theseus	Pirithous.
Achilles	Patroclus
Hephæstio	Alexander.
C. Lælius	P. Scipio
Cicero	Atticus.

IS
 1 Sam. 18. 6.
 1. c. 20. 6 8.
 c. 23. 6. 18.
 Virg. 9 Æn.
 Valer. Max.
 lib. 4. c. 7.
 Cic. in Læl.

Valer M. d. l.
 Cic. in Lælio
 de Amicitia ad T.
 Pompon. Attic.

Quib. ex superioris seculi flore ad censuerim Duum-
 viros Philippum Melanthonem, & J. Camerarium
 dignum Patrem tanto Filio, quem ocellus Germaniæ
 NUREMBERGA verè *ευδαίμων fovet, & universus Eu-
 ropæ orbis admiratur.

*
 Sic hanc lucem urbium

adpellat scribtor Græcus & Constantinopolitanus superbo atq. insolendo titulo,
 uti scribit Clar. Scipio Gentilis Ic. in laudat. funebr. Hier. Baumgartneri,

Inter hos idem VELLE existit idem NOLLE, & una
 Mens Animi sincerioris; nec opus fuit aliquo, qui
 ipsis instillaret amatorium illud sine medicamento,
 quod nominat Lipsius: SI VIS AMARI, AMA; nec qui
 clamaret cum Aristide apud Laertium: Ω φίλοι, εἰδὲς
 φίλῳ. Alter enim cum altero ad certamen usque A-
 moris componi potuit, cum uterque probè noverit,
 frustrà amorem posci, si non adferat alius, perinde
 ut fax ad accendendum frustrà admovetur alii, quæ
 non accensa. Undenam verò hæc Morum hæc Amo-
 rum conformitas? Non aliunde, nisi quod Deus &
 benigna ejus amanuensis Natura eam humano ge-
 neri concessit facultatem dicam, an felicitatem, ut u-
 nusquisque sibi reapse sit Karissimus! Cum autem
 nullius boni sine socio jocunda sit possessio, alios
 quoque quos sibi ad primè pares viderit, Amoris am-
 bro-

In comm. ad
 C. Plin. Pa-
 negyr. Tra-
 jano Imp. di-
 ctum.

J. Lips. in
 cent. ad Ger-
 man. & Gal-
 los ep. 44.

Cic. 2. de
 Finib.

brofiâ & Nectare studet communicare. Equidem fateor summum dilectio Dei momentum habet: vim possidet magnam Amor proximi: sed tamen omnes omnium Karitates PHILAUTIA una complectitur. Hanc nisi auctor bonorum omnium & actor JEHOUAH sensibus nostris infuderit, liquidò constat: & DEUM nos odisse & proximum; cum amor nostri cynosuræ & amussis vicem sit, juxta quem utrumque illum æstimemus. Et sicut quisque Bonus imperfectionem suam odit, nec tamen qui sui amorem negligit; ita quoque sese gerat erga alios, nec his amorem abnuat, quorum improbat errores. Tantum autem abest, ut PHILAUTIA Justitiæ aduersetur; ut fastidium etiam rejiciat, quod nobis esse debet in homines sceleratos. Nam si pietati & legibus ejus saluberrimis repugnaret, non esset homini propria & naturalis. Quin immò Adamante quodam cognitionis singularis continentur AMOR DEI & AMOR PROXIMI; cum alter his verbis præcipiat, Diligas Deum Tuum ex toto corde; Alter autem: Diligas proximum Tuum sicut TEIPSUM. Breviter quidem si verba pendas, nervosè si sensum hujus Suadæ, quam protulit æterna proles Patris æterni. O Karissime JESU ab Adamo didici inobedientiam, intemperantiam ab Hevâ, à fratre nostro Caino homicidium, à Davide adulterium, ab aliis alia vitia: Sed abs Te discimus PHILAUTIAM, quâ Te hominem, nos verò DEUM efficis. Et pellegamus omneis novi fœderis libros nusquam quod Servator noster TIMETE. Quod autem DILIGITE nobis dixerit, plus quàm tricies reperiemus. Erunt aliqui fat scio, quorum in me bilem concitabo, quod iis ausim ad hanc PHILAUTIAM
iter

iterpremonstrare. Nimirum hi non vanè comparari possunt cum Abbate illo in Gallia, qui non agebat aliud nisi ut processib. Juris haud necessariis cuilibet negotium faceret. Cum igitur mandato Regis eorum usus ipsi interdiceretur; se quidem nunc 40. litigiis operari, quæ jussu Regis libens deponere vellet, modo hoc impetrare posset, ut sex ipsi permitterentur causâ fallendi temporis. Ita etiam multis votum est, ut si non in omnes, saltim aliquos invidiæ, kalumniæ & furoris pestilentissimum virus evomere possint.

Sed profectò fallunt & falluntur; cum DEUS non semesum aut tertiatum, sed plenum sed planum amorem à creaturis suis exigat. Quod si nondum sit in conspicuo est PHILAUTIAS elogium: age facem ascendam si minus pretiosorem, at quæ magis luceat. Tria requirit amicitia perfectæ fundamenta Philosophorum secretarius & amatum Aristoteles: *ἑω-
νοίαν, ὁμόνοιαν καὶ ἐνεργασίαν*: hanc ut homo sibi consulat, illas, ut SIBI constet, ac SEIPSUM amet. Quæ si veri judicii lance pendatur curatius, adparebit sanè, non neminem JURE ac MERITO teneri, ut sit PHILAUTUS. Cui enim BONO mores in aliis deteriores reprehendimus; nisi ut à sui neglectu & odio illos abducere, ad sui amorem & æstimium impellere conemur? Est aliquis blasphemus: recensemus pœnam Ajacis Telamoni, Alphonsi XI. Regis Hispaniarum, Juliani Cæsaris; ex adverso commendamus felicissimâ pietatem Scipionis Affricani, Karuli Magni, Theodosi. Est aliquis patriæ proditor; execramur hunc Flavi-um & cum eo * Tarpejam; Arminium autem & patrem ac filium * Decios laudamus. Non alio certè Ad-

*
Ovid. I Fast.
514. Metâ.
Plut. in vita
Romuli.

*
Cic. I. de di-
vin. 2.
Val. Max.
lib. 5. c. 6.

Ad-

Adfectu aut Respectu, quàm ut Pietatis ut amoris in Patriam alios admoneamus, & quod nobis fieri malum nolumus, aliis etiam accidere nolimus. Et sanè si

Cic. in Vat. quis merita patriæ resumere velit, nemo tam ingratus erit, tamq̃ nullius humanitatis; quin eam magis quàm *SE-IPSUM* diligat. Verè hoc ait Tullius, sed in eo nimis piè, dum amorem patriæ sui etiam *AMORI* præponit; atque hoc ex adfectu magis quàm iudicio eum scribisse, mihi fit verisimile. Sed ut ut sit, cui vis etiam absq; aureâ *Minervæ* lucernâ conspicitur, quam commune vinculum habeat cum *PHILANTIA* sui cognitio. *Multi multa sciunt: sed ipse nemo SE scit.* Hugo dicebat olim, & symboli loco usurpabat *Henricus IV. Imp. Cæsar Augustus.* Sed & hodiè obtinet veriloquium *Alcibiadis*: τὸ γινῶναι ἑαυτὸν ἐχὲ πάντος. Interim tamen summa est *Philosophia*, &

Lib. 1. de Anim.

--- *E cælo descendit γινῶναι σεαυτὸν*

Figendum ac memori tractandum pectore.

Sui igitur quis habeat gnâviter experimentum, ausim cum eo sponsonem facere, se fore sedulum athletam in palæstrâ *Bonæ Mentis* & virtutis templo. Simul ac enim animum suum probè perspexerit, statim se *Divinæ particulam auræ* indeptum sentiet, atq; hoc *Dei munere* nunquam non digna faciet. Videbit nempe ὄργανον obtinendæ sapientiæ, & hoc excolet. Sin corpus; deprehendet se lutum, ut ille ait, scitè mistum & heminam unam sanguinis; itaque æterna cogitabit & immortalia. Quod non faceret, nisi *SE* nisi suam ipsius animam impensè diligeret. Amator sui fuit *Philippus Macedo*, quoniam sui cognitor. Admone-ri enim quotidie voluit à puero:

Ælian. Var. historiar.

Ω. Φίλιππε, Φίλιππε, μέμνησο αὐθροῦ πᾶσι ὧν.

Fuit

Fuit & Cæsar Theodosius, quem uxor Placilla fingulis ferè diebus in hæc verba compellavit; *cogites quæso Justin. libr. 22. hist. Au- son. in Epi- gram. Plu- tarch. in a- pophteg.* *marite, quisnam fueris, & qui jam existas.* Fuit Agathocles, qui memor suæ originis (erat enim patre natus figulo) epulas è vasis fictilibus capere consuevit. Fuit etiam Willigis Archiepiscopus Moguntinensis, & quia carpentarii filius erat, thalamo suo litteris grandiu- sculis, quas è plano semper legeret, inscribi iussit: *WILLIGIS, WILLIGIS, RECORDARE UNDE VENERIS.* Non ita Cyæus, non Cræsus, quamvis Oraculi voce ad has virtutes admoniti. Quod si fuissent, neq; ab illo Persæ, neq; ab hoc Massagetæ reportassent trium- fos. Trajanus Imperator laudis palmaria sibi vindicat qui absq; ullo monitore solo impulsu heroicæ naturæ *Φιλαυλιαν* exercuit. Dionem enim Chrysofomū, qui Troica scripsit, animi putò causā, quòd Ilium non sit captum, ita fovit, ut aureo ac triumphali curru juxta se collocatū his verbis demulserit: *AMO TE UT ME- IPSUM. Ο πρᾶγμα βασιλικόν, ὁ non nisi è cælo verba.* Quæ utinam unicuivis non in pectore tantum hære- rent, sed mente, usque adeò videmus hoc seculum, quibus moribus sit.

Pergula pictorum: veri nihil, omnia ficta.

Solemnis hodiè- Politicorum, quos sic ex abusu no- minis adpellitamus, ego Polypos seu Polytropos di- xerim, formula: Caput meū hoc tango & testor nul- lum mihi caput karius esse tuo. Te in pectore meo at- que in his medullis gero. Quin & inaudias linguis ex- oticis loquentes

Beso las manos de Uvestra merced.

It: Beso los pies de Uvestra senoria. (Casa- yo soy siervo y esclavo perpetuo de Uvestra

©

Sed

(a) *Dictum* Sed ferè totum hoc genus Placentini aut Laudenses,
Isaacipatri- Veronenses pauci: vox Jacobi est, manus (a) Esavi, sic
archæ Gen. ut voto illi jocus heic fiat: (b) *A Joabi adloquio,* à (c) *Thye-*
 27. 6. 22. *stis convivio,* ab (d) *Iscariot his Ave,* & (e) *Diaz I Salve,* ab (f)
 (b) *2 Sam. 3.* 6. 27. *Herodis Redite.* & (g) *Gallorum Venite libera nos Domine.*
 (c) *Obid. 15.* *Metamorph.* (d) *Matth. 26. 6. 49.* (e) *Sleid. lib. 17. comm.* (f) *Matth. 2. 6. 8.* (g) *In*
Matutinis Parisiensib. quib. Barpto LoMaVs flet, qVla GALLICVs occVbat AtLas.

Quisquis igitur se non amat, nec aliū; quin SEIPSUM
 prodit, quod cordis fel melle oris sui incrustarit, ac

Pers. Sat. V.

Fronte politus

Astutam rapido servet sub pectore vulpem.

Hem (libet enim ita mihi exclamare) quotus quisque
 & ubinam gentium invenietur, cui quis laudes adci-
 nat, quas Tibi AUPLISS. DN. GIRSNERE, M. Virdun-
 gus Noster non minus verè quàm eleganter:

Aureus è niveo lucet qui pectore candor

Aureus ut clueas totus amice facit.

Qualis si reliquis animus mortalibus esset,

FERREA quæ nunc sunt AUREA sacra forent.

Arist. 2. E-
thic. c. II X.

System. Eth.
lib. 1. c. 2.

Quod elogium, quia mereris unus ex cunctis, in Te
 uno miramur omnes, & omnis posteritas mirabitur.
 Ceterum nec illud PHILAUTIÆ laudibus detrahit
 quicquam, sed magmentum conciliat potius: quod
 ΑΥΤΑΙΔΙΑΝ & ΑΥΤΟΣΥΝΙΑΝ (ΑΥΤΟΣΥΝΙΑΝ mihi penè scribserat ca-
 lamus) adversarias habeat. Non enim Philosophi, sed
 ipsius veritatis Regulam existimo, licet Keckermano
 iudice Paradoxon videri nonnullis queat: *Quod duo*
ἀρεῶν seu Extrema sibi magis mutuò contrariantur, quàm vir-
tuti. Utraq; illa in vicio, sed non ad vitium: quin ma-
 ge cos & calcar veræ virtutis, sed nimirū illi, qui jam
 Rex sui esse didicit. Nam ubi nimium in aliis odium
 & sui neglectum deprehendet; eò ferventius amo-
 rem sui legitimum amplexabitur. Sin confidentiam
 & ni-

& nimiam sui æstimationem; amabit demissionem animi fundum bonorum omnium ac fundamentum. Hâc itidē ad sui cognitionem ducetur; hâc ad DEUM & PHILAUTIAM, in qua omnis felicitas, omnis Pandora Virtutum & cumulus. Ecce enim *φιλοσοφίαν, φιλοσοφίαν, φιλοσοφίαν, μεγαλοψυχίαν*: quas si surculos Philautiæ dixērim, nec Fidei, nec vero temerè prævaricabor. Nemo enim operam consecraret hisce virtutibus; nisi prius se, suum corpus, animum, parentes, liberos, fortunas, honorem, nominis famā diligeret. Sed quo provehor? Metuo enim, ne sermonis mei prodigalitas lecturis fortean aliquod fastidiū pariat. Concludam igitur hoc utrinque feriente ratiocinio, quorum possem fortassis, fortassis autem? immò sanè possem recensere plura; si concedat oportunitas, & cujus rationem haberi convenit, Decorum. *Ἐναντία Ἄμεσσι* sunt Amor & Odium, inter quæ non dari potest aut intercedere (cum Logicis ita loqui fas sit) tertium. Naturâ enim ferimur, ut nosmet ipsos aut amore prosequamur, aut odio. Hoc absit, ut dicamus de benignissima nostrum parente & ordinaria DEI potentiâ. Illud ut adseveremus, suadent rationum, quas modò protuli, firmamenta, suadebunt etiam Philosophiæ moralis Doctores, ad quorum subsellia nunc appello.

Sistant se velim audituri sententias, qui fidem verbis hæctenus meis vel derogarunt vel abrogarunt. Nec succensebunt mihi spero veteris ævi lumina, si ex fulgore eorum insigni primò sese spectandum offerat Pythagoras. Is F. Piccolominei prudentissimi *Grad. VII. c. XVII. philosoph. moral.* testimonio graviter pronunciavit: *quòd unusquisq; post DEUM teneatur revereri SEIPSUM.* Quid de sapientiæ

oculo Platone dicam? Hic ut dictionis ambiguitatem
que alioquin errori ad finis esse consuevit, removeat:
PHILAUTIAM constituit aliam, de qua dissero, mo-
deratam: immoderatam aliam, qua quis iudici pro-
prij mirator existit, alieni contemptor. Hanc autem
ab illa discernit vocabulo σφόδρα, id est, Nimium; quo
neutiquam opus esset, si PHILAUTIA omnis in vicio.
Et quod non sit, hoc effatum ipsius fidem adstruit:

Lib. V. de le-
gib.

Arist. 9 Ethicor.
c. 4.

Palit. c. 5. vel quod alius 3. Confer IX. Ethic. c. 12.

i. e. quomodo quis se ipsum laudare possit contra invidiam.

Cic. in Lal.

Cic. de Legib.

Φίλῳ ἑαυτῷ πάντας ἀφ' ἑωραπῶν φύσει ἐστὶ, hoc est, Homo sibi naturā Amicus est. Quod forte an discipulo suo Aristoteli suggestit, qui totidem ferè verbis, sensu autem plane simillimo μάλιστα, inquit, ἕκαστος αὐτὸν φίλῳ, id est, sibi ipsi quilibet maximè amicus est. Quam Gnomen deinde locis aliis exfertè magis & disertim explicuit, præcipuè verò in ad Nicomachum IX. c. 119. quod ita desinit: τὸν ἀγαθὸν δεῖ φίλαυτον εἶναι. Nec ab horum exemplorum contextu se jungatur, qui libellum huic argumento ad commodum scripsit, & * περὶ ἑαυτὸν ἐπαινεῖν ἀνεπιφρόνας inscripsit. Num autem homo se laudare poterit, nisi prius PHILAUTIAM sibi habeat commendatissimam? Credat qui volet. Mihi mens alia. Novi quippe verus illud & verum verbum: *Quem amamus, laudamus.* Adcuratiùs hoc docet lux illa doctrinarum altera & cœlestis in dicendo vir Tullius? Ipse se quisq; diligit non ut aliquam à seipso mercedem exigat caritatis suæ: sed quia per se sibi quisq; carus est. Idem, in Amicitia verâ, inquit, necessarium est ut quis nihilo se plus quàm alium diligit. Adderem compluria priscorum testimonia; sed hæc plus quam satis bonæ causæ fecerint. Itaq; stilum meum nunc delabi permittam ad recentiores, quorum ----- εἰς κείραν ἔσω, εἰς βασιλεὺς

quem

quē supra dicere memini Fr. Piccolomineus. Is copiosè, nec minus dilucidè pertractavit hanc materiam triplici capite Philosophiæ suæ moralis, & inter cetera DILECTIONEM sui geminam pertendit. Alteram nempe cæcam & tyrannicam, regalem alteram, quâ homo externus interno obtemperare, ac SIBI quàm KARISSIMUS esse adlaborat. Subnectam huic pullum germanum germanæ Prudentiæ id est, Aristotelicæ Casum, qui hunc Amorem, inquit, cui vis animanti natura dedit, ratio suasit, Philosophia quæ est rationis norma, comprobavit. Quod si Duumvirum horum auctoritates elevatis, J. Camerario quid facietis summo Musarum Consulto, ut eum Noster J. Gruterus ipse talis appellat. Is lib. IX. Ethic. c. VIII. Aristoteles, inquit, meritò vituperari concedit eos, qui vulgò amatores sui perhibeantur, & qui verè sint: neque solere hoc nomine adpellari ait eos, neque reprehendi debere. Cui scito non tam ovum ovo, lac lacti simile, quàm sententia Magiri, sic ut eam ab Aristotele mutuatum fuisse suspicer. Hæc autem subjungit coronidi virtutum moralium. Est & altera, & quidem melior significatio Φιλαντίας, quando significat eum amorem, quo quis præcipuam sui partem i. e. animum sive mentem maximè amat: ac propterea studet eam præstantissimis bonis, h. e. virtutibus, artibus & scientiis excolere. Et paulò post: sed quia paucitales sunt; ideò vulgus hominum tales non solet Φιλάντας adpellare, aut propterea eos reprehendere: quia major pars ignorat, in quare consistat vera Philautia. Adsit quoq; nobis paulisper.

Sagax Alciptalitterata Gymnados

Et arbiter certaminum

Parnasiorum doctæ in circo Pallados

Bæptol. Keckermanus. Ex eo si jam quærat aliquis,

C 3

quod-

Lib. VII.

Lib. 4. suffic.
c. IIX.

lib. 9. c. IIX.

System. Log.
plen. part. 2.
p. m. 484.
Syst. Ethic.
lib. 1. c. 3. &
lib. 3. c. pen.

Cajus l. 1. ff.
de orig. jur.
Bl. in proam
FF. n. 8. Myn
sing. ad. pr.
J. de J. & J.

l. testium 3.
§. idem 3. ff.
de testib.

Nov. 72. c. 6.

quodnam sit propriè fundamentum, quæ origo veræ
amicitiæ, non opinor responsum feret aliud, quàm
quod scribitis suis reliquit, nempe PHILAUTIAM. Im-
mò plura ex ipso audias; si nempe absque hoc sui a-
more sit, etiamnum virtutes omnes vix suæ umbræ
viderentur somnium. Hoc scilicet est, quod pruden-
tissimè dicit: *Philautian amplecti & gubernare virtutes o-
mnes, quarum beneficio nobis boni aliquid voveamus contingere.*
Nec silentio præterierim Clementem Timplerum,
quo nullus universam Philosophiæ activæ discipli-
nam tradidit concinnius ad docendum, ad disputan-
dum aptius. Ejus de Philautia nostra caput exstat in-
tegrum, è quo breviter & quasi in transcurso defini-
tionem hanc, quam rectius velut potissimam cujusq;
rei partem principio poni fas erat, *quod sit virtus mora-
lis, quâ homo propensus est ad SEIPSUM moderatè diligendum.*
Non patitur me diutius alienis testimoniis, ut maxi-
mè velim, insistere Theoph. Golius; qui cum neq; ab
Aristotele, neq; ab ullis ejus sectatoribus sententiam
faciat dividuam; *Vir bonus, ait, non solus est, sed etiam ma-
ximè debet esse Philautus.* Longum esset ceterorum o-
mnium, quæ me penes habeo, testimonia recensere.
Longum? immò etiam supervacuum. Scio enim plus
credi testibus quàm testimoniis; id quod etiam Ha-
drianus Imp. proconsuli Macedoniæ rescribit. Et ve-
rò testes erunt omnes Boni, bona omnia, quæ adpe-
tuntur testes erunt *Philautian* esse laudabilem, & ut Ju-
stiniani verbo exprimam *εράσιμον και ἰπιδρομον* id est,
amabilem & adpetibilem. Age jam ex medio Natu-
ræ libro proverbialia quædam vel illustres sententias
levi digito delibemus; quib. non illibenter fides fieri
consuevit, quia sunt notiones nobiscum nascentes.

Ex

Ex illorum censu hæc mihi præ aliis utramque paginam faciant:

ῥόνυ κνήρης ἔγγιον vulgò dicitur quod ita Theocritus

---- ἀπώτερον ἢ ῥόνυ κνάμα

Decima Musa verò sic reddidit: *Pallio tunica propior; & genu propius tibia.* Quem in sensum audias quoq; è scenâ Terentianâ proclamantes: *Proximus sum egomet mihi.* Quod Charini verbum argutè illustravit J. Ovven.

Plautus in
Trinumo.

Andr. act. 4.
sc. 1.

Dilige vicinum, veluti te diligis ipsum.

Sic, inquis, facio. Proximus ipse mihi.

Ita Chremes etiam: *Ego meorum solus sum meus.* Ita Antipho: *Solus est homo amico amicus.* Quò pertinet etiam illud ab Alexandro Severo Imperatore symboli loco usurpatum:

Phorm. act.
4. sc. 1.

Ibid. act. 3.
sc. 3.

Quod vis tibi fieri, fac alteri: sed &

Quod non tibi fieri vis, ne fac alteri.

Siquidem Publii Mimi verbo;

Malus est vocandus, qui suâ causâ bonus est.

In qua sententia finio, quanquam plures earum & vellem & haberem recensere, sed & deberem. Debitio- nis tamen hujus partem omnem exsolvisse mihi videbor, si abs Te qui hæc leges EUGE & SOPHOS i.e. gratiam & adplausum merebor. Immò etiam si non merebor.

Quid enim stolidi vener suffragia volgi?

Sed st' st'

HONI SOIT qui MAL Y PENSE.

F I N I S

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mirrored and difficult to decipher.

Honi Soit Qui Mal Y Pense
F. A. W. I. S.

Coll. Diss. A. 49, misc. 27